



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 5. In Sueuiâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

## §. 4. In Leodiensi agro.

Apud Tungros (*in Leodiensi agro*) dicunt aquas venenatis aduersari, cuius rei signum, quod si in eas mittantur serpentes intereunt illicè, cùm tamen innoxiae sint canibus, & aliis animantibus. *Andreas Baccius de aquis lib. 3. cap. 3.*

In Agro Leodiensi Souenia fons, non procul à castro Francimontio, tertianis est, & hydropis salutaris. *Hubertus Thomas Leodiensis.*

Apud Tungros fons est insignis (*hodie les eaux de Spa*) plurimis bullis stillans ferruginei saporis, quod ipsum non nisi in fine potus intelligitur: purgat hic corpora, tertianas febres discutit, calculorumque vitia. Eadem igne admoto turbida fit, postmodum rubescit. *Plinius lib. 31. cap. 2. & Dalecampius in hunc locum qui notat perdurare miraculum.*

## §. 5. Suevia.

SUNT Mattiaci in Germaniâ fontes calidi trans Rhenum (*hodie peritioribus Baden*) quorum haustus triduo feruet: circa marginem verò terra in pumicem concrescit. *Plinius lib. 31. cap. 2.*

Circa Danubij exortum pisces nigri illicè gustantibus mortem afferunt. *Plinius lib. 31. cap. 2. & And. Baccius lib. 1. cap. 9. idem afferit.*

In Sueviâ lacus, in quem si retia immittantur altius (nam in superficie nihil damni patientur) sic aduruntur, non secus ac si flammâ forent afflata. *Seuerinus Gobelinus in suâ historiâ suevicâ.*

In Badensibus Thermis fons est aquæ adeò calidæ, ut in ea animalia facile depilentur: quod tamen non contingit, si hæc animalia furto sublata fuerint, sic *Vadianus in lib. 3. Pomponij Mele.*

Ad Memmingam fluuiolus *Bach*, aliis fluuiis concretis numquam congelatur. *Indigenæ omnes.*

## §. 6. In Bauaria.

IN Bauaria fons est in loco dicto *Degernsee*, ex quo quotidie guttæ olei decerpuntur. Putant periti esse Bitumen liquidum,